SACRA RITUUM
CONGREGATIONE
Eñ̃o, & Rm̃o Dño Card.
JO: FRANCISCO ALBANI
HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVÆ DEI
SOR. FRANCISCÆ DOROTHEÆ
Fundatricis Monaſterii Monialium Excalceatarum
S. DOMINICI S. MARIÆ Regum
Civitatis Hiſpalen.

RESPONSIO
AD NOVAS
ANIMADVERSIONES
R. P. D. FIDEI PROMOTORIS
SUPER DUBIO

An conſtet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate erga Deum, & Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum de quo agitur?



ROMAE MDCCLXXVI.

Ex Typographia Reverendae Camerae Apoſtolicae.

HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVÆ DEI

SORORIS

FRANCISCÆ DOROTHEÆ



Assertæ Fundatricis Monasterii Monialium Excalceatarum S. Dominici S. Mariæ Regum Civitatis Hispalen.

NOVÆ

ANIMADVERSIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Caritate erga Deum, & Proximum, necnon de Cardinalibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur.

BEATISSIME PATER.

1 UM multa a Prædecessoribus Tuis ad gravissimas Caussas Beatificationis Servorum Dei, & Beatorum Canonizationis rite recteque definiendas, providentissime sancita, & constituta sunt; tum nihil sane præclarius, atque sapientius, quam quod potissimas Virtutum, Martyrii, ac Miraculorum quæstiones semel, iterum, ac tertio, in acerrimæ disputationis conflictum, severissimumque examen adduci voluerint apud Sacram Rituum Congregationem, usque dum propositæ Controversiæ veritas ad eum moralis evidentiæ, ac certitudinis gradum perveniat, ut & suffragium in Caussa ferentibus omnis auferatur anceps cogitatio deliberandi, & iis, *qui pravitatis hæreticæ fermento corrupti*, *loqui*

 audent

audent mala de bonis, & in electis pingere maculam, quodcumque calumniandi perfugium, penitus ereptum, ac sublatum fuisse videatur.

2 Tam laudabilis moris consuetudinisque apprime gnarus R. D. *Hieronymus Lasalde* diligentissimus in Urbe Procurator Postulatorque Caussæ Ven. Servæ Dei FRANCISCÆ DOROTHEÆ; post primum de heroicis ejus Virtutibus institutum Judicium, atque experimentum in Consultatione, quam vocant, *Antepræparatoria* habita in ædibus Eminentissim & Reverendissimi Domini Cardinalis *Johannis Francisci Albani* Episcopi Portuensis prædictæ Caussæ Relatoris *die* 8. *Junii* 1773.; tota statim & mente, & animo in novum earumdem Virtutum examen, quod *Præparatorium* dicitur, incumbit; nullum non movens lapidem, quo splendidissimæ Caussæ per Nobilissimum Hispalensis Ecclesiæ Capitulum, cujus negocia gerit, suæ fidei diligentiæque commissæ, celeriori progressui consulat, atque prospiciat.

3 Itaque ad impositi mihi muneris religionem maxime pertinere intelligo, ea omnia diligenter exponere, ac in medium afferre in novis hisce Animadversionibus meis, quæ in memoratis *Antepræparatoriis* Comitiis omnium ferme Consultorum animos, dubios admodum, ancipites, atque suspensos tenuisse comperi in Virtutibus Servæ Dei heroicis dijudicandis; quæque, nisi accuratiori defensione penitus e medio tollantur, nunquam moveri poterunt iidem doctissimi Viri ad tutum, certum, ac ferventibus Hispalensis Cleri Populique votis accommodatum, de Venerabilis FRANCISCÆ sanctitate votum suffragiumque pronunciandum.

4 Utque *a Probationibus* incipiam; multa adhuc in Caussa esse video, unde impediatur, vel saltem summopere retardetur proposita a Postulatoribus *conjunctio*, quam ipsi appellant, *secundi gradus*, sive progressus ad ulteriora *per viam subsidiariæ, minusque perfectæ Probationis*, desumptæ nimirum ab humano testimonio Informativorum Testium *de visu*, & Apostolicorum *de auditu auditus*, confirmandæque juxta Generalem Benedicti PP. XIV. sanctionem editam *die* 17. *Julii* 1754. §. *Decernimus secundo loco*, uberiori divinitatis voce, ac testimonio, quod in *tertii* de Cœlo *Signi, sive Miraculi* onere approbationeque versatur.

5 Nam neque depulsam satis, atque *exclusam* video per modernos Caussæ Patronos relate ad veteres ejusdem Caussæ Postulatores *quamcumque fraudis, seu negligentiæ suspicionem*, ex qua factum est, ut dilata Processus Apostolici constructione ad annum *centesimum trigesimum* a morte Servæ Dei, imo ad annum *undecimum supra centesimum* post signatam manu Summi Pontificis *Commissionem Introductionis*, soli Testes *de auditu auditus* in prædicto Processu auctoritate Apostolica instituto, ad examen induci vocarique potuerint; neque iidem Apostolici Testes *de auditu auditus* tam *grave constituunt adminiculum, ut attentis numero & qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, rem ad eum statum deducant, quæ faciat fidem & authoritatem viro prudenti de re gravi judicaturo*; neque demum *alia concurrunt a Sacra Rituum Congregatione statuta, ut rite & recte admittantur Testes de auditu, de quibus omnibus* jam antea memoratus Pontifex, tamquam privatus Author differuerat *in suo Opere de Canonizatione Sanctorum lib.* 2. *Cap.* 4. & 5.

6 Quid enim affertur in præterita Responsione, unde excludatur prædictæ *fraudis, aut negligentiæ suspicio? Non constare* dicitur *pag.* 3. §. 8. & *seqq.*

& seqq. de dolo malo fraudeque, quæ versuta, ac fallax Sedem Apostolicam decipiendi ratio fuisset, nec cadere in splendidissimum sanctissimumque Cathedralis Ecclesiæ Hispalensis Capitulum nobilissimamque Civitatem, qui hujusce Caussæ Postulatorum officia ex sola Religione susceperunt; nullam esse tantæ deceptionis utilitatem, sine qua nemo in fraudem impellitur; segniter expediri negotia, quæ plurium consilio & opera perfici debent, Capitulum Hispalense gravissimum simul onus sustinuisse alterius Caussæ, nimirum V. S. D. Ferdinandi de Contreras; priores nostras Remissoriales pro constructione Processus in specie anno 1674. expeditas, exequutioni nunquam fuisse demandatas, imo in quodam Archivo apertas & informes fuisse repertas: demum inutile prorsus esse de retardata Processus constructione quæstionem movere posteaquam Sacra Congregatio Summusque Pontifex, hac probe cognita dilatione, Processum confici decrevit.

7 At enim vero, si istiusmodi rationum momenta valerent ad omnem *dolosæ negligentiæ suspicionem* a Postulatorum capitibus avertendam, nulla jam erit Caussa utcumque Apostolicis Testibus, qui oculati sint vel auriti primi gradus destituta, quæ ad normam laudati Benedictini Decreti per viam subsidiariam ope trium Miraculorum expediri non debeat; quin aliquam ex hoc capite promovere liceret difficultatem. Quid enim promptius, facilius, atque expeditius, ut gravissima quælibet fraudis, aut negligentiæ suspicio contegatur, ac propulsetur, quam contendere dolum malum in Postulatoribus non esse plene probatum; ad necessariæ pecuniæ defectum confugere; atque etiam ad onus promovendæ alterius Caussæ (quam tamen scimus multo hac ipsa Venerabilis DOROTHEÆ negligentius fuisse promotam; quum in ea manus fuerit apposita Ordinariæ Inquisitioni anno LXXXIII. post obitum Ven. *Ferdinandi de Contreras*; Apostolicæ vero, anno CCVII I. qui fuit annus repar. Salut. 1756., veluti ostendimus in Animadversionibus super eadem Caussa editis superioribus proximis mensibus)? Quid insuper ad eumdem excludendum dolum inopportunius, quam in medium afferre locum postremarum *Remissorialium anni* 1753., unde magis magisque confirmetur objecta fraudis negligentiæque suspicio, ex eo quod priores litteræ anni 1674. expeditæ *nunquam exequutioni sint demandatæ*, jacuerintque usque ad annum 1731. *in quodam Archivo apertæ & informes*? Quid tandem ad omnia quantumvis gravia Caussarumque progressui fatalia impedimenta ex nimium sera Processuum constructione deducta, penitus e medio tollenda, inanius atque inconcludentius, quam asserere, quæstionem hac de re moveri non posse, utpote quæ jam judicata censeri debeat, quum Sac. Rit. Congregatio novas Remissoriales litteras relaxandas esse decreverit?

8 Sed non ista profecto est Apostolicæ Sedis praxis in hisce Caussis definiendis. Relaxat utique *Remissoriales Litteras* Sac. Congregatio, etiamsi constet, oculatos Testes, aut auritos primi gradus inveniendos non fore, quia scit viam non deesse, qua Caussa progredi possit, si congruæ dilationis probabiles afferantur rationes: non enim simplex dilatio quælibet impedimento est conjunctioni utriusque Processus, sed ea dumtaxat *dilatio*, quæ ab extraordinaria quadam negligentia ortum ducens, doli fraudisque suspicionem adnexam habet, quam si excludere nequeant Postulatores ope legitimarum rationum, unde objectam Processus Apostolici dilationem evenisse demonstrent, sibi imputent, non Sacræ Congrega-

tioni inutiliter factam in eodem construendo Processu expensarum profusionem.

9 Est igitur melioribus argumentis excusanda nimis sera, ac diuturna Processus Apostolici confectio, omnisque a Postulatorum capitibus arcenda exinde emergens doli, aut culpabilis negligentiæ suspicio. Nam quæ hactenus sunt allata, includere potius, quam *excludere* eamdem suspicionem juremerito existimarunt Amplissimi Patres, nec unquam inducere animum poterunt, ut sibi suadeant, constructionem Apostolici Processus dilatam fuisse ab anno 1674. ad annum 1753. *ob rei nummariæ defectum*, considerantes *nobilissimam Hispalensem Civitatem*, ejusdemque *splendidissimum sanctissimumque Capitulum*, *hujusce Caussæ Postulatorum officia*, hoc est sumptuum faciendorum onus in se *suscepisse*: quin aliquid movere eos possit altera Caussa Ven. *Ferdinandi de Contreras*, in qua, licet eodem tempore incœpta esset Apostolica Inquisitio (incœptam autem fuisse nonnisi triennio post vidimus paullo superius); attamen utrique Inquisitioni Caussæque peragendæ, Civitati & Capitulo Hispalensi vires procul dubio non deerant; nec demum ipsam *Litterarum Remissorialium* jam usque ab anno 1674. exquisitarum, obtentarumque inexequutionem illegalemque custodiam suspicione carere intelligunt, illas non ob auri defectum per plurimos annos *apertas & informes in quodam Archivo delituisse*, sed ob magnum aliquod, quod Caussæ timeretur præjudicium, si quum recens esset rerum a Ven. Virgine gestarum memoria, exequutioni demandatæ fuissent.

10 At concurrerent saltem in Caussa, quam agimus, alia duo *Requisita*, quæ *in numero* versantur *& qualitate Testium Informativorum de visu*, *atque in adminiculo non levi*, *sed gravi desumendo ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis*, quæque omnino concurrant necesse est ad expetitam *Processuum conjunctionem secundi gradus* obtinendam juxta sapientissimi Legislatoris mentem in sæpememorata Generali Sanctione anni 1754. clarissime expressam. Verum enim vero, quis asserere audeat, Testes in Processu Apostolico hujusce Caussæ exceptos, esse *de auditu auditus*, *graveque* ex eorum dictis *adminiculum* desumi, quod sufficiens sit *faciendæ fidei & authoritati viro prudenti de re gravi judicaturo*; si non aliam passim suæ scientiæ indicant originem, quam publicam vocem & famam, quam vulgi opinionem, lectionemque vitæ Servæ Dei a P. Gabriele Aranda conscriptæ? Si hanc ipsam *Majorum traditionem*, *publicam vocem & famam Historicorumque fidem*, cui eadem innituntur Apostolica testimonia fere omnia in *Summario*, atque in *Elencho* relata, multis usque ab initio immixtam auctamque fuisse constat fabellis, ac *superlationibus*; idque vel ipsi Caussæ Patroni ultro fatentur in *præterita Responsione pag* 10. §§. 40. *&* 41.? Si tandem tam multa ab iisdem Apostolicis Testibus commemorantur, de quibus altum silentium in Ordinaria Inqnisitione; immo si vix unus, aut alter est heroicus virtutis actus, in quo referendo iidem Apostolici Testes cum Informativis conveniant, quemadmodum titulos de Fide, Spe, & Caritate cuique percurrenti patebit?

11 Quod si ipsorum Testium Informativorum *de visu* numerum qualitatemque attendamus; etsi eos magno numero testimonia dedisse sua appareat; re tamen vera pauci admodum sunt, qui de singularibus Virtutum actibus, deque eorum præstantia, atque splendore ex certa scientia tamquam oculati deponant. Ex his vero paucis, domestici tantum Testes, Monia-

Moniales nempe aliquot, eædemque ipsæ Sorores & Consociæ V. S. D. in *Summario*, atque *Elencho* afferuntur; ac duobus Confessariis exceptis sub titulis *de Caritate*, *de Fortitudine*, *de Temperantia*, *de Obitu*, *& Concursu ad funus*, quinquies tantum in *Elencho* occurrentibus, ibique paucis, genericis, & ad heroici *habitus* probationem omnino imparibus verbis de Venerabilis Virginis Sanctitate testimonium ferentibus; quorum præcipuus, Pater videlicet *Monterius*, qui per annos triginta Servæ Dei Confessiones excepisse dicitur, vix ullam meretur fidem, quum graviora quædam facta scituque necessaria siluerit, quæ tacitus præterire nullo modo debebat; cujusmodi est illud reprobatarum ab ipso Dei Famulæ Constitutionum, quas insuper ab illius manibus abstulisse lacerasseque ceteri commemorant Testes.

12 Tota itaque Virtutum Venerabilis DOROTHEÆ probatio ab una fide, unoque testimonio paucarum ejusdem Asceterii Monialium, ac generice, confuse, perturbateque illius præclara opera commemorantium esset repetenda in hoc tam gravi, ac metuendo judicio, etiamsi Dei Famulam quamsæpissimè spiritualibus de rebus cum nonnullis pietate, ac sapientia præstantibus viris egisse constet. Hanc autem rem periculo plenam etiam atque etiam præcavendam esse juremerito observantes Consultores doctissimi, magnopere querebantur ex universo Informativo Processu nihil plane luminis sibi eruere licuisse ad veritatem confirmandam præcipuarum Epocharum Vitæ Servæ Dei, quas Caussæ Patronus ingenti labore conquisitas, se statuisse profitetur in *præterita Responsione*, quæque si cum Testium dictis in *Summario* descriptis conferantur, augent potius, quam imminuunt propositas in anteactis Animadversionibus difficultates.



13 Et sane, si de priori Epocha sit sermo (quam tamen perspectam habere oporteret, non tantum quia innocens, & ab omni labe pura Dei Famula prædicatur, quantum propterea quod magnis inusitatisque donis atque prodigiis vel a prima ætate distincta, & cumulata perhibetur); nemini dubium est, quin in maxima rerum actionumque ad eamdem primam Epocham pertinentium obscuritate versemur, nec aliquam abesse suspicionem, quod illusionibus per id temporis fuerit obnoxia Venerabilis Virgo, clarissime ostendunt, cùm cetera testimonia in *Summario*, in *Elencho*, in præterita defensione laudata; tùm ea potissimum quæ commemorat Servæ Dei germana Soror *in MS. in Processum compulsato*, *Sum. pag.* 105. §§. 35. *&* 36.

14 Consilium deinde, quod de spiritu S. D. viri Theologi numero duodecim consulti habuerunt, cui Venerabilis DOROTHEÆ ætati affingendum adscribendumque putabimus? An quum Infantula votum Deo nuncupavit præeligendi semper, quod ei gratius existimaret? De valore siquidem hujus voti fertur instituta fuisse disquisitio. Verumtamen prædictum *Manuscriptum Sororis* V. S. D. repugnare videtur, ubi legitur, non solum de hoc voto, sed de spiritu deque charismatibus judicium fuisse institutum; idque non prius, quam decimum octavum ætatis annum attigisset Venerabilis Virgo. Rursus, si quæratur, cujus imperio, & auctoritate cætus ille Theologorum sit coactus, quis audeat divinare? Dicitur enim Confessarius jussus fuisse ad Theologicum illum Senatum referre superna arcana ore, & scripto sibi concredita. Unde igitur hæc jussio emanavit? An ab Archiepiscopo Hispalensi? At non aliam novimus eum consultationem tenuisse, quàm quum de novo Asceterio instituen-

tuendo actum est, quo sane tempore quadragesimum ætatis annum agebat Venerabilis DOROTHEA. Sed de hac nova institutione Consultationeque Theologorum super ea habita paullo infra redibit sermo. Interim quoad expositam Epocharum confusionem animadvertisse sufficiat, illam etiam partem vitæ Servæ Dei altius investigandam esse, quam sola remotis arbitris in summitate Ædium translegisse dicitur in oratione, & jejunio Moysis instar pro novo jure, ac regula vitæ statuendis. Quamquam enim istiusmodi secessum eodem ferme modo narrent Testes in ordine Processus Informativi IX. & LXXI., nihilominus prior illum affigit patriis ædibus, quum infans adhuc esset Venerabilis Virgo, posterior vero collocat in domo *Aloysiæ de Abrego*, apud quam commorabatur Dei Famula anno ætatis suæ trigesimo.

15 Verum enim vero, quæ diligentiorem Processuum scrutationem, magisque accuratam defensionem unanimi fere Sapientissimorum Patrum sententia postulant, susceptum illud respiciunt, atque ad exitum perductum non sine gravi Theologorum, ac Jurisperitorum improbatione Dei Famulæ consilium, quo Seraphicum Institutum amplexa, ac diù professa, quasi vocationis suæ pertæsa, ac rerum novarum cupida ad Dominicanum transire constituit; ac veteri deposito, novum habitum sumpsit, novum fundavit Excalceatarum Sanctimonialium Asceterium, atque Institutum, ac novam condidit, seu, ut verius loquar, consuit Regulam ex Franciscana, & Dominicana conflatam, & mixtam, novumque istiusmodi privati sui spiritus, muliebrisque imaginationis phœtum tamquam sibi a Deo dictatum, ita credidit, suisque Sororibus servandum proposuit ac venditavit, ut licet a P. Monterio Confessario suo non sine indignatione spretum, atque rejectum, mox ipsa refecerit auxeritque, ac Dominicani Ordinis Moderatoribus subjecerit, a quibus denuo improbatum, divinæ revelationis prætextu nunquam tueri, atque exequi prætermiserit.

16 Hanc porro præcipuam Vitæ V. S. D. partem, unde maximà, atque potissima ejus Virtutis æstimandæ ratio pendet, ex Testium dictis tum in *Summario*, tum in *Elencho* descriptis, meditantes Amplissimi Patres, verebantur, ne *illusa* potius atque *decepta*, quam veræ sanctitatis laude cumulata dici haberique deberet Venerabilis Virgo; ignari, an magis in ea reprehenderent mentis levitatem, atque inconstantiam, qua ab Augustinianis Directoribus discedens, Sancti Francisci Vestem induit, ac rursus desertis Franciscanis, ad Dominicanos accessit; an minus humilem obsequentemque Confessario ac Dominicanis Superioribus animum, a queis semel iterumque reprehensa, atque repulsa, Institutum suum tueri, ejusque urgere exequutionem non destitit. Quamquam enim plures diversique sint Regularium Ordines, qui Catholicam Ecclesiam Christi Sponsam *in vestitu deaurato circumdatam varietate* illustrant; haud tamen omnes, & singuli inter se differunt ob diversam unice, quam profitentur Regulam; sed ob varias, quas habent profitenturque Constitutiones ab Apostolica Sede approbatas: adeo ut etiamsi sub eadem Sancti Augustini Regula Deo militent non tantum Eremitæ Augustiniani, Canonicique Regulares, sed etiam Dominicani, Franciscani, aliique; nihilominus ad invicem discrepant, diversosque in Ecclesia Dei Regulares efficiunt Ordines ex diversis peculiaribus Constitutionibus, quas præter Sanctissimi Maximique Doctoris Institutum singuli profitentur.

17 Jam vero Sanctissimus Ordinis Prædicatorum Fundator Dominicus, Oxomen-

menfis Ecclefiæ Canonicus Regularis quum effet, ftatuit quidem fancivitque in Ordine a fe inftituto Regulam Divi Auguftini, quam ipfe ut Canonicus Regularis profeffus fuerat, fanctiffimeque fervaverat; at peculiares addidit Conftitutiones, queis Romani Pontifices Apoftolicæ confirmationis robur addentes, ac magnopere folliciti, ut Inftitutum femper perfifteret idem, nec ulli in pofterum mutationi fieret obnoxium, a nemine illas immutari augerique poffe decreverunt, non a fupremo totius Ordinis Antiftite, Magiftro, ac Moderatore; immo ne ab ipfis quidem Generalibus Comitiis: ita ut fi aliquid iifdem Conftitutionibus pro temporum opportunitate deinceps addendum effet, id fieri nullo modo poffet, nifi a tribus fucceffivis Capitulis Generalibus, quorum repetitis Decretis tale additamentum opportunum, ac neceffarium effe judicaretur: quemadmodum conftat ex Summorum Pontificum Sanctionibus *in Bullario Dominicano* evulgatis.

18 His conftitutis,[3] plures exinde emergunt quæftiones, difcutiendæ omnino, novoque Poftulatorum ftudio, ac labore illuftrandæ, quum de Virgine agatur Fidelium imitationi ab Ecclefia proponenda tamquam Matre, & Magiftra Sacri Afceterii, & perfectioris vitæ Inftituti. Additamenta fiquidem & multa, & gravia Dominicanis Conftitutionibus per ipfam facta, nil aliud effecere, quam diverfum a Dominicano Ordine novumque in Ecclefia Dei Inftitutum, quod quale fuerit, & an ab Apoftolica Sede approbatum, prorfus ignoramus. Quapropter rejectum illud fuiffe fcimus a Prædicatorum Familia, nec unquam Venerabilem Chrifti Famulam inter Dominicanas Moniales, Afceteriumque ab ipfa fundatum inter Dominicanorum Monafteria fuiffe recenfitum: immo ex Actis conftat, Theologos Jurifque Peritos ab Archiepifcopo Hifpalenfi fuper nova Fundatione confultos, omnes ad unum Venerabilis DOROTHEÆ confilium novaque jura ab ea condita prima vice ftatim improbaffe; quin caufæ rationefque nobis innotefcant, quæ ab noviffimo Suffragantium in prædicta confultatione pro Serva Dei, novoque illius Inftituto in medium adductæ, ceteros omnes adverfarios ad retractandam præjudicatam caufam movere, eofque in fuam pertrahere fententiam potuerint.

19 Quid? Si nec documentum, multis licet jactatum, affertur ullum Pontificiæ approbationis confirmationifque Inftituti a Dei Famula fundati, nec ulla Hifpalenfis Antiftitis Acta exhibentur fuper novi Afceterii fundatione? Atqui hæc omnia proferantur oportet, ut certi effe poffimus de recto, atque prudenti illius animi confilio, verafque internofcere caufas tot mutationum, ac viciffitudinum vitæ S. D., de quibus domeftici Teftes prorfus conticefcunt, nullique dantur neque ex Auguftiniana, neque ex Francifcana Familia, & ex Dominicana ipfa unus dumtaxat Pater *Monterius* ad effectum, de quo agitur, ut fuperius vidimus, omnino impar, immo & manifefte contrarius. Quod enim de novis pro novo Afceterio Conftitutionibus non a Venerabili DOROTHEA compofitis, fed a Deo dictante, ipfa fcribente in domus receffu, ubi affiduis arctifque jejuniis, flagellationibus, orationibufque vacans, quadraginta diebus ad divinum explendum opus claufa manferat, ex ipfius S. D. ore exaggerant Moniales Teftes, tamdiu explodendum prorfus ac reiiciendum exiftimabant fapientiffimi Confultores veluti anilem putidamque fabellam ad contegendum graviffimum defectum Pontificiæ Confirmationis excogitatam, quamdiu de heroicis Venerabilis FRANCISCÆ Virtutibus apud Sacram Rituum Congregationem difputabitur.

Ve-

20 Verum in hac Caussa, optima ceteroquin, & splendidissima, dijudicanda nihil æque sollicitos, dubios, suspensosque tenuit eorumdem Amplissimorum Suffragantium animos in anteactis *Antepræparatoriis* Comitiis, quam tanta illa *Votorum* a Venerabili Virgine vel a teneris unguiculis nuncupatorum series, quæ passim in *Elencho*, sive *Expositione Virtutum illius* commemorantur. Rationis usu, singulari Dei beneficio donata dicitur Ven. DOROTHEA anno ætatis quarto. Vix quintum attigerat, quum ecce *peculiarem Deo promissionem Votumque* edidit = *di far sempre quel che fosse, o pensasse esser di maggior gloria ed onor suo, obligandosi a farlo col maggior fervore di divozione; obligandosi con gran fervore ed amore alla maggior perfezione della vita* = *Summar. pag.* 16. §. 42. *Elench. pag.* 6. *& alibi*. Post primum hoc Votum, alio jam adulta se obstrinxit, quod tamen in priori illo continebatur = *di non commettere colpa veniale* = ut in ejus Scriptis legitur; ut autem in *Elencho* additur §. 74. = *di non commettere colpa veniale in alcuna cosa avvertitamente, e di procedere in tutto colla maggior perfezione* =; quo emisso, impetrasse dicitur a Domino opportunum imbrem, cujus defectu Hispalensis Civitas, summa rei frumentariæ inopia caritateque laborabat. Deinde vero aliud Votum emisit = *di non chiedere cosa alcuna alle Creature, bensì a Dio solo, con altre cose* = *Proc. fol.* 252. *terg.* Insuper *Process. fol.* 34 = *d'impiegarsi dimentica di se, e di tutte le cose del Mondo con tutte le forze dell'anima, e del corpo in quelle cose, che sono di maggior gloria di Dio, e bene dell' Anime* = quod idem Votum in prima sua ætate a Dei Famula nuncupatum, se ex ipsius FRANCISCÆ ore accepisse tradit Testis LXXI. in ordine Processus Informativi *fol.* 1171., inquiens = *aveva fatto Voto a N. S. di fare sempre quello che fosse più aggradevole a Sua Divina Maestà, procurando in tutte e singole sue azzioni uniformarsi alla perfezione richiesta da un tal Voto* =. Legimus demum in *Processu fol.* 67. *terg.* hæc ipsius Dei Famulæ verba = *questa è la Regola, quale feci Voto di osservare in tutta la mia vita fino alla morte colla maggior perfezione, che mi sia possibile.* =

21 At quotus quisque erit, qui ex Testium dictis in utroque Processu relatis colligere valeat, in tam arduis tamque difficilibus Votis Deo nuncupandis a Christianæ Prudentiæ legibus ita nullo unquam tempore defecisse Venerabilem Virginem, ut tutum rectumque ferre possit de illius sanctitate judicium? Alii fuere Sancti, qui peculiari Voto sese Deo obstrinxerunt, id semper agendi, quod ad majorem divinæ gloriæ incrementum decusque pertinere cognoscerent; sed nonnisi firma ætate, post multas & graves cum vitiis, & concupiscentiis luctas, atque victorias, post diuturnam constantemque in omni Virtutum genere exercitationem, post accuratas ad Deum preces, præconsultis, atque approbantibus conscientiæ Moderatoribus. Quin Votum de majori perfectione a Sancta Theresia emissum, non adeo late patebat, ut superius recitatum Ven. DOROTHEÆ Votum; sed restrictum fuisse testatur illius Confessarius Vitæque Scriptor *Ribera* ad ea tantum opera, quæ magni momenti esse cognovisset: & tamen antequam Votum ederet, consulere diu multum non prætermisit Spiritus sui Directores; consuluit etiam Generalem Carmelitani Ordinis Præsidem, Apostolicumque in Hispaniarum Regnis Nuncium; immo & ipsosmet Romanæ Ecclesiæ Proceres.

22 Age vero: privato quodam Spiritus sui ductu tam amplissima Vota vel abineunte ætate spopondens, quomodo ab imprudentiæ, ac temeri-

ta-

tatis nota absolvi vindicarique possit, certe non video. Dicent fortasse Postulatores eidem acceleratum a Deo fuisse rationis usum, eoque inspirante, talia nuncupasse Vota. Sed qua ratione, quo testimonio, quo documento id planum facient, & comprobabunt? At demus, comprobaturos; quomodo insuper cum heroicæ Fidei habitu conciliabunt alterum illud Votum a Dei Famula emissum de non committendis peccatis venialibus, quo certe supposuisse videtur, ad statum *impeccantiæ* hominem pervenire, in eoque perseverare posse absque specialissima Dei gratia, quæ tantummodo comprehensorum est propria, quamque ex viatoribus uni Deiparæ Virgini tributam pie credimus? Nec juvat asserere, Dei Famulam loquutam esse de culpis venialibus deliberatis. Nam quominus Votum = *di non commettere colpa veniale* = absolute ab ea editum, ad culpas commissas = *avvertitamente* = referamus, prohibet jactata illa Ven. FRANCISCÆ revelatio, de qua in præteritis Animadversionibus *pag.* 12. §. 22., quaque Deum sibi dixisse narrat = *Io voglio, che la mia Serva Francesca goda per privileggio vivendo in terra quel che li miei Santi godono in Cielo in virtù della chiara Visione dell' Essenza &c.* =. His enim verbis, quacumque demum ratione a Postulatoribus interpretentur, privilegium omnino significat de culpis venialibus non committendis uni, ut diximus, Beatissimæ Virgini in terra concessum, nec non perfectionem justitiæ, & statum inamissibilis gratiæ, beatarum animarum tantummodo proprium.

23 Quid vero dicemus de prædictorum Votorum observantia atque implemento? Quomodo, aut qua demum ratione de iis rite exacteque impletis certos nos esse posse confidimus? Undenam cognoscere licebit earum *Regularum* rationem, atque naturam, quibus ignoratis, quoniam de illis adimplendis *omni vitæ tempore ad mortem usque = colla maggior perfezzione* = se Votum fecisse asseruit Venerabilis Virgo; impossibile sane erit ejus res gestas, ac præclara facinora ad exactam Sanctitatis lancem perpendere, atque metiri? Profecto Amplissimis Patribus, & Caussæ Summarium, & Expositionem Virtutum, & Postulatorum defensionem attente pervolutantibus, tantum abest, ut satis constiterit, Dei Famulam prædictis Votis sartis tectisque servandis ea, qua par erat, diligentia studuisse, ut potius non obscura eorumdem Votorum inobservantiæ argumenta, vel in ipso *Virtutum Elencho*, anteactæ Responsioni a Caussæ Patronis adjecto, deprehenderint.

24 Vix enim componi, & conciliari posse alicui ex doctissimis Suffragantibus visa sunt cum perfecta observantia *Voti* a Ven. FRANCISCA editi = *di non chiedere cosa alcuna alle Creature, bensì a Dio solo* =, ea quæ in *citato Elencho* referunt Testes Informativi de visu, & facto proprio. Referunt autem *pag.* 103., Dei Famulam quondam dixisse Testi LXII. *Aloysiæ de Aleman = Venga quà, non gli ho detto io, che quando ha qualche necessità di qualche cosa me la mandi a chiedere, perche se non vi sarà in casa, non mancherà qualcuna delle Signore, CHE MI FARANNO LA GRAZIA DI DARMELA* = Et ad rem clarius *pag.* 104. *circa med. = Che a motivo della di lei* (Servæ Dei) *INTERCESSIONE, gli dava* (Testi eidem LXII.) *il Licenziato Baldes ... ogni Settimana in due volte quattro reali &c.* =. Narrat item *pag.* 106. Mater *Agnes a Sancto Augustino, che venendo alcuni Poveri a chiedergli* (Servæ Dei) *il di lei ajuto, essa col maggior gusto, e coraggio mi faceva scrivere a persone ricche, acciocche queste soccorressero &c.*

25 Sed prædictum Votum *de nulla re postulanda a Creaturis*, licet absolute prolatum, referatur tamen, si placet, ad promissionem nihil omnino petendi ab hominibus PRO SE IPSA, ac propterea ad opem divitum confugientem pro indigentiis pauperum, atque infirmorum, ne hilum quidem defecisse supponamus ab emissi Voti religione. At quomodo cetera Vota = *di non commettere colpa veniale avvertitamente* = *di procedere in tutto colla maggior perfezione* = *di far sempre quello, che fosse più aggradevole a Sua Divina Maestà, procurando in tutte, e singole sue azzioni uniformarsi alla perfezione &c.* =, accurate implevisse dicenda erit ea Venerabilis Virgo, quam scimus ex *Process. fol.* 39. reprehensam quandoque fuisse ab ipsomet Deo illis verbis = *Facesti tu male a chiedermi la morte, sapendo la causa, per cui ti conservo in vita* =; quæ de se ipsa fateatur *loco* a Caussæ Patronis *citato ex Process. fol.* 53. *præterit. Respons. pag.*24. §.100., quod = *riguardando con qualche affetto e cura, ed ascoltando le cose esteriori di poco profitto, sentì quel che siegue* = *Non guardare alcun'altro fuori di me, nè pensare a niuna cosa, bensì a me, e quando tu mirerai, o penserai a qualche altra cosa, tu togli gli occhi da me* =; quam demum in aliquas incidisse culpas *satis deliberatas*, minime dubitare nos sinunt tum judiciales suorum Confessariorum attestationes in *Virtutum Elencho* descriptæ *pag.* 44. *& seqq.*, apertissime asserentium, quod eædem culpæ *sufficientem* præbuerint *materiam* Sacramentali absolutioni; tum testimonium ex *Process. fol.* 386. in *præterita Responsione* recitatum *pag.*28. §.113., unde eruitur a Venerabili Virgine cum germano Fratre quandoque colloquente, nonnisi = *avvertitamente* = ac plane deliberate Auscultatricem fuisse dimissam.

26 Id autem non sine aliqua levi culpa fieri ab ipsa potuisse, existimabat unus aut alter ex doctissimis Suffragantibus, observans eam agendi rationem adversari aut Regulæ per Dei Famulam professæ, aut legitime, ac laudabiliter introductæ, vigentique in Asceterio consuetudini, quam Ven. FRANCISCA peculiari sibi Votorum vinculo decreta, & quodammodo implicita, minus attente persequi, aut tantisper præterire sine peccato non poterat; frustraque ad excusandam Servam Dei confugere Caussæ Patronos *loc. cit.* ad ejus *Humilitatem*, aut alterius cujuscumque virtutis actum, quem exercere in animo habuerit, *eidem suo Germano quamdam ex divina voluntate Prophetiam significare* cupiens; quum non sint facienda mala, ut eveniant bona.

27 Sed præter dubiam ancipitemque Votorum observantiam gravesque suspiciones de iisdem exacte non adimpletis; non una, nec levis occurrit difficultas, qua assertus in Dei Famula Virtutum fulgor seu *Relevantia* densa veluti obducta caligine, adhuc obtenebrari visa est plerisque ex Sapientissimis Consultoribus. Quamvis enim, ut verum fatear, inter Acta individua in omnes Ven. DOROTHÆÆ ætates distributa, nonnulla recenseantur, quæ consuetam justorum agendi rationem exsuperare videantur, quæque persuadeant, Venerabilem Christi Ancillam ita semper vixisse, ut ejus probaretur fides, integritas, æquitas, demissio animi, ac flagrantissima in Deum & homines Caritas; quamquam ejus fortis animi, & magni non obscura a Testibus oculatis Ordinariæ Inquisitionis exhibeantur indicia, atque argumenta, desumpta partim a rerum externarum despicentia, invictaque tolerantia molestissimarum adversitatum ex ægritudine corporis, ex oculorum læsione, ac præterea ex contradictionibus, objurgationibus, calumniisque susceptarum; partim

tim a rebus, quas gessisse commemorant, magnis, & maxime utilibus, & vehementer arduis, quales nimirum geri consueverunt ab hominibus a Deo missis, ut sint aliorum duces in semita perfectionis, primævique authores arctioris disciplinæ officiorum Evangelicorum; verebantur nihilominus iidem Amplissimi Patres, ne *Elenchus*, sive *Expositio Virtutum* a Caussæ Patronis exhibitus, satis accurate fuerit contextus. Nam si ii de medio tollentur virtutis actus, qui vel pluribus virtutibus æque convenìunt, vel communem agendi modum non excedunt, vel a genericis pendent Testium dictis, vel denique extrajudicialibus sunt innixi monumentis, paucos remanere ajebant Actus vere heroicos, specificos, atque individuos singularum Virtutum; & illos ipsos Actus, qui heroica qualitate præditi exhibentur, nulla certa temporis nota consignari, solisque ut plurimum Monialium depositionibus niti; non quod istas a testimonio ferendo excludendas esse existimarent, sed quia omnia corroborata optassent Confessariorum dictis.

28 Cui enim *Elenchum* pervolventi ad tutum rectumque de Sanctitate hujus Venerabilis Virginis ferendum judicium, non mirum summopere videatur, QUATUOR ipsius Dei Ancillæ CONFESSARIOS examini subjectos, atque ex juris formula interrogatos, ita parce, generice, jejune fuisse loquutos, ut eorum attestationibus nonnisi sub paucissimis *Elenchi* titulis uti potuerint Caussæ Postulatores? Atqui Confessariorum testimonia non modo præ ceteris opportuna, sed omnino necessaria erant, ut rite recteque dignosci posset, quo spiritu duceretur Venerabilis FRANCISCA in tot extraordinariis sui corporis afflictationibus; quem meditationis gradum attingeret fervens ejus ac jugis ORATIO; & an a visionibus, revelationibus, aliisque supernis muneribus, queis abundantissime fuisse a Deo cumulatam passim deprædicant Moniales Testes, periculum illusionis abesset. Et sane phrases illæ obscuræ, ac parum accuratæ, quibus redundant Epistolæ V. S. D. ad suæ conscientiæ Moderatores datæ de gratiis sibi divinitus tributis, unde complura desumpsit *Obstacula* meus in munere Prædecessor *sub Cap. 3. primarum Animadversionum*, multis earumdem Epistolarum fragmentis in medium adductis; phrases, inquam, illæ in prædictis Epistolis a Dei Famula adhibitæ, quantunvis benigne interpretentur, mentem divinitus illustratam non sapere visæ sunt Amplissimis Suffragantibus. Sed de Visionibus, ac Revelationibus Venerabilis FRANCISCÆ opportunior paullo infra redibit disserendi locus; nunc incœptum de paucitate Actuum heroicorum sermonem prosequamur.

29 Quæ præ ceteris in *Elencho* effertur sub titulo *de Caritate erga Deum pag.44. §.33.* eximia atque angelica S. D. *innocentia*, quam *in Sacro Baptismo acceptam*, sic *perpetuo servasse*, *obtinuisseque* contendunt Postulatores, *ut nulla unquam alicujus*, *ne levi quidem*, *quæ ex proposito dicitur*, *macula asperserit*, comprobatur quidem testimonio *quatuor Confessariorum*, tum aliorum Testium *de auditu ab iisdem Confessariis*, de quorum fide & scientia dubitari non potest. At quum hi non semper Ven. DOROTHÆÆ confessiones exceperint, nec illorum aliquem ipsi in extremis vitæ periodis sese generaliter confitenti, aures præbuisse constet, consummatæ servatæque ad mortem usque ejusdem *innocentiæ*, *perpetuique vitæ tenoris caste integreque traducti*, satis certa & concludens ex adductis *loco citato* Attestationibus, minime resultat probatio.

 Mul-

30 Multoque minus resultat quoad reliquas Virtutes, quas iidem Confessarii aut omnino prætereunt, aut generice ad summum, extremisque labiis rarissime attingunt, quasque vel domestici oculatique Testes laudant plerumque *singulares*, vel *auriti*, ut diximus, *infimi gradus*; ex traditione Majorum, ex publica voce & fama, ex lectione vitæ scientiæ causam desumentes; vel demum Ordinariæ Inquisitioni præmortui: cujusmodi sunt Moniales *Maria a Sancta Maria* Soror Servæ Dei, & *Agnes a Sancto Augustino*, quarum extrajudicialibus Attestationibus, licet in Processum relatis, non major quam Historicis quibusque coævis, fides & authoritas habenda esse videatur.

31 Accedit, ab iisdem Testibus parum ceteroquin idoneis *ad faciendam fidem & authoritatem Viro prudenti de re gravi judicaturo*, nullum prorsus fieri verbum de heroicis tum *Prudentiæ*, tum *Justitiæ* Actibus a Dei Famula exercitis toto eo vitæ tempore, quo Asceterio a se fundato præfuit tamquam ceterarum Monialium Præses, & Moderatrix. De specificis vero reliquarum Virtutum Actibus, quam pauca, bone Deus! quamque interdum incredibilia, ac secum pugnantia deponunt! Non est hujus loci, nec temporis singula persequi; juvabit tamen unum, aut alterum exaggerationis exemplum proferre, ne veterem istiusmodi de inopia, atque incredibilitate heroicarum Actionum querelam, crebris Reverendissimorum Patrum vocibus suffragiisque usurpatam, gratis & ad libitum protulisse videamur.

32 Narrant igitur Testes in *Elencho* audiendi *pag.* 58. §§. 43. *&* 44., Ven. FRANCISCAM ad Sacram Synaxim QUOTIDIE accedere, & diem, qua *Sanctissimo Angelorum pane animam recreabat suam, ita a terrenis omnibus abstrahi consuevisse, ut, neque de necessario cibo sollicita, totas dies jejuna transigeret: non enim terrenum degustare cibum poterat, cœlesti satiata* = *Ricevendo QUOTIDIANAMENTE la Sagra Eucaristia* (inquit Testis V. Apostolicus) = *Molte volte QUOTIDIANAMENTE si alimentava con la Santissima Eucaristia* = prosequitur Testis XVIII., Testis vero LXXXVIII. ait = *QUOTIDIANAMENTE riceveva il Santissimo Sagramento dell' Eucaristia.* = Quod autem diem illam, in qua Sacrosancto Christi Corpore reficiebatur, omnino jejunam transigere consueverit, deponunt Testes in ordine Processus Informativi II., III., LXIX., & LXX., quorum postremus *de visu* ait = *che nei giorni di Comunione non mangiava* = & LXIX. *de auditu*, quod = *in molti giorni di Comunione non mangiava neppure un boccone*.

33 At si ita fuerit, consequens erit, sine ullo prorsus cibo ad annos complures eam vixisse. Id autem cuique sana mente prædito tanto minus suapte natura credibile videbitur, quanto magis discrepare intelligetur ab his, quæ de Servæ Dei abstinentia alii affirmant Testes in eodem *Elencho* adducti sub titulo *de carnis afflictatione pag.* 138. *& seqq.* §.128. *& seqq.*, ubi crebra quidem referunt, sed non quotidiana Venerabilis DOROTHÆÆ jejunia, & addunt solemnioribus quibusdam diebus pane sardarum, aut cicerum jure imbuto tamquam lautiore cibo eam vesci solitam.

34 Jam vero contra Virtutes ipsas Venerabilem DOROTHÆAM non semel peccasse, ex multis Summarii, Elenchique locis colligebant doctissimi Consultores, unanimi ferme suffragio sese dolentes, ægreque ferentes animo, neglecta fuisse a Caussæ Patronis, nec idoneis responsionibus e me-

e medio sublata pleraque *Obstacula* sub *Cap.* 3. *præteritarum Animadversionum* exposita, quæ nobilissimam Caussam dubiam adhuc implexamque summopere efficerent. Nam, ut ea omittam, quæ in iisdem Animadversionibus sunt opposita sub *num.* 19. *&* 20. de *experientia*, qua se didicisse scripsit Serva Dei, haud aliam sibi præsto esse rationem evitandorum cœlestium munerum, quam vitiorum inire viam; deque Christi Domini *Incarnatione & Morte* ad Prædestinatorum Redemptionem relata; quæque clariorem adhuc responsionem exposcere visa sunt: quum nec opus sit ad *Lexica* confugere, ut ex integro loci contextu intelligamus, iis vocibus = *tengo per esperienza* = eamdem omnino tribuendam esse significationem, quam iisdem tribuunt *præteritæ Animadversiones pag.* 11. §. 19., nec ad alterius sententiæ *de morte a Christo obita pro illis, quos prædestinaverat*, Orthodoxiam vindicandam asserere juvet, quod *nullatenus ceteri homines excludentur*, si solos ibidem Prædestinatos Dei Famula commemorat, inquiens = *che Dio ab æterno conobbe li suoi Predestinati, e li amò talmente, che si vestì di umana natura, e diede la sua vita &c.* = ut hæc, inquam, quæ leviora fortasse sunt, missa faciam; ab aliqua in primis injustæ prodigalitatis, atque imprudentiæ nota, vix ac ne vix quidem excusari posse videtur Venerabilis FRANCISCA ex eo, quod novi Monasterii construendi causa æs alienum supra vires contraxerit; quo comperto, Episcopus vehementer commotus, atque indignatus ædificium suspendi jussit, ac Dei Servam inde expulsam, ad locum, unde venerat, reverti mandavit, quemadmodum narrant Testes in *Summario* adducti sub titulo *de Spe*. Tam severa porro, & gravis Animadversio haud levem profecto in Dei Famula indicare videtur, atque supponere culpam, ne injustam, ac præcipitem fuisse dicamus Antistitis sententiam: quod de illo judicare, aut suspicari nefas esset.

35 Gravissimis insuper difficultatibus adhuc implicatur propositio illa, quam veluti sibi a Domino prolatam recitat Venerabilis Virgo *loco in præteritis Animadversionibus citato sub num.* 22. = *Io voglio, che la mia Serva Francesca goda per privilegio vivendo in terra, quel che li miei Santi godono in Cielo in virtù della chiara visione dell'Essenza &c.* =. Nam quod ajunt Caussæ Patroni *Respons. pag.* 22. §. 90. *& seqq.* = *memoratam Dei ad Servam suam locutionem etiamsi vera non fuerit, de ipsius Ancillæ Dei Virtutibus nihil detrahere, utpote quæ omnia, quæ sibi contingebant cum suæ conscientiæ Moderatoribus communicabat: heroicarum judicium Virtutum neutiquam a Visionibus ac Revelationibus pendere: immerito Dei Famulam in hac Visione redargui, quod se tanto dignam munere crediderit, quum per contrarium ex Facto habeatur tam demisse de se sensisse, ut damnatorum pœnas pro se promereri existimarit* =; ad rem arbitror non pertinere. Aliud siquidem est per cœlestia charismata, gratiasque, quas Theologi appellant *gratis datas* heroicarum Virtutum exercitationem minime probari; utpote quas etiam Peccatoribus a Deo tributas videamus; aliud est falsarum Visionum, Revelationumque evulgationem, grave aliquod *illusionis*, *affectatæque sanctitatis* signum in evulgante non præse ferre; neque ab objecta superbiæ nota excusari valeat Venerabilis Virgo, supponendo, eam perfecte *humilem* extitisse; de quo adhuc magnopere disputatur.

36 Quæ quum ita se habeant, jam unusquisque intelligit, ac plane sentit, non opportunum modo, sed necessarium prorsus esse, ut Postulatores

osten-

ostendant, quale fuerit paullo supra memoratum *Privilegium*, quod Venerabilis FRANCISCA sibi *in terris viventi* a Deo concessum putavit; tum, ut de qualitate Visionis judicari possit, an divina fuerit, vel potius profecta ex phantasia Servæ Dei, altius quam Christianæ Humilitatis heroinam deceat, de se suisque meritis sentientis, atque existimantis; tum ut innotescat, an aliquid in eadem Visione conscribenda Venerabili Virgini exciderit Verbo Dei, & Ecclesiæ doctrinæ repugnans: quemadmodum certe repugnaret, si assertum *Privilegium* positum, & collocatum fuisse intellexerit in fruitione illi simili, quæ resultat in Sanctis Regnique cœlestis Comprehensoribus ex clara Visione divinæ Essentiæ. Negat id enim vero Caussæ Patronus *Respons. pag.*22. §.93., contenditque *Dei Famulam loqui de aliquo tantum effectu ex pluribus, qui ex clara divinæ Essentiæ visione in Beatos derivantur*. At quomodo absque integra *divinæ Esentiæ Visione* frui potuit = *PER PRIVILEGIO in terra quel che li Santi godono in Cielo in virtù della chiara Visione dell'Esenza?* =

37 Et re sane vera, asserens Venerabilis Christi Ancilla Testi LXXI. Processus Informativi *DE VISU præteritarum Animadversionum pagin.* 27. §.31. = *Io sò di una anima, che stando cogli occhi aperti, dopo aver ricevuto Dio nel Santissimo Sacramento si trova trà li Cori degli Angeli, GODENDO LA BEATITUDINE* =, subjungensque Testis = *e la Deponente avvertì nel colore del suo viso, e nell'affetto, con cui diceva la sudetta cosa, che l'anima, di cui parlava in terza persona, era la stessa Serva di Dio* =; haudquaquam dubitare nos sinunt, quin Venerabilis Virgo *ex speciali privilegio* eo plane modo se frui existimaret clara beatificaque Dei Visione, qua fruuntur, & gaudent Sancti Viri cum Christo regnantes in Cœlis. Quanta porro hinc errorum monstra, & quam lata sterneretur via grassanti in dies improborum hominum, quos *Naturalistas* vulgo dicimus, impietati, jamque in ipso Ecclesiæ sinu multorum animos inficienti; haud opus est prosequi verbis, quum rudiores etiam statim percipiant, suppositam in *Viatore* fruitionem *claræ Visionis Esentiæ Dei* illi Beatorum persimilem, facile constitui posse pro fine ultimo creaturæ rationalis: adeo ut sine fide Mediatoris, & Sacramento ejus per observantiam legis naturalis, ad eam Viator quisque posset pervenire.

38 Verumtamen, qualecumque demum fuerit assertum Dei Famulæ *Privilegium*, ac beneficium, nisi luce meridiana clarius constet, adimpletam fuisse in Ven. DOROTHÆA istiusmodi promissionem, ipsamque revera consequutam esse tale beneficium, in suo semper permanebit robore, quod antea objectum est de gravi *illusionis* suspicione exinde promanante. Caveant autem Caussæ Patroni, ne hujuscemodi Visionum *inverosimilitudinem* erroresque contegant, atque excusent inani illa vulgataque responsione, qua frequenter utuntur, ajentes, perfectionem, sanctitatemque vitæ pendere non a Visionibus, & Apparitionibus, sed ab heroicarum exercitatione Virtutum; objectasque Visiones desumptas esse ab iis S. D. Scriptis, de quibus jam Sacra Rituum Congregatio decrevit = *procedi posse ad ulteriora* =, perinde ac si vel manifesta Visionum falsitas sanctitati vitæ, ac virtutum splendori nullum afferat impedimentum; vel Sacra Congregatio, nihil in Scriptis Servorum Dei Theologica censura dignum contineri judicans, judicet etiam eorumdem Scriptorum Authores ab omni *illusionis* errore plane immunes.

Tan-

39 Tantoque magis necessarium esse arbitrabantur Amplissimi Patres in nova Caussæ defensione instituenda clarius solidiusque explicare, quale fuerit sæpememoratum Ven. FRANCISCÆ *Privilegium*, quanto crebrius ad ipsum spectasse visa est Venerabilis Christi Ancilla non solum in scriptis, verum etiam in familiaribus sermonibus suis. Quadam enim vice, Monialibus inter se colloquentibus de donis extraordinariis Sanctis Mulieribus Gertrudi, ac Theresiæ a Jesu a Deo concessis, respondisse legitur ex *Process. fol.* 392. *ter. &c. præterit. Animadvers. pag.* 16. §. 30. = *avere Iddio dato di più ad alcune anime, e che una grazia particolare fatta da Dio ad un'anima, non aveva letto, che Iddio avesse fatta a verun altra persona* = ; subindeque a Teste interrogata Venerabilis Virgo = *se quell'anima era forse di qualche Persona, che stava in quel Convento, rispose essa quasi ridendo, è di questo Convento, ma io non ho licenza da Nostro Signore per dirvelo* = , quibus verbis non obscure innuit, se illam esse, cui tam felix sors obtigerat.

40 Heic ego non quæram a Postulatoribus cum meo in munere Prædecessore laudatissimo, an tam magnifica, & frequens donorum sibi divinitus collatorum narratio, sine utilitate plerumque, aut necessitate instituta, cum heroica animi demissione sanctitateque componatur. Plura siquidem præsto sunt istjusmodi narrationum a Dei Famula de se ipsa factarum exempla paullo inferius recensenda, ex quibus gravissima adhuc levitatis, illusionis, imprudentiæ, ac vanitatis argumenta deducebant plerique ex doctissimis Consultoribus. Multoque minus inpræsentiarum quæram, an licite potuerit Serva Dei exposito in casu ea Consodalibus pandere, addereque circumstantiam illam, quæ ipsam tali dono insignitam demonstrabat; in illo scilicet Asceterio includi personam illam, cui tam singulare, tam inauditum beneficium contulerat Deus, si = *non aveva licenza da Nostro Signore per dirlo ?* = Quæro dumtaxat, & postulo a Caussæ Patronis, quænam fuerit Gratia illa adeo peculiaris, adeo inusitata, quam ipsa nunquam hactenus collatam divinitus legerit = *a verun altra persona ?* = Neque enim aliam extitisse, jure mihi videor posse contendere, præter superius expositum *Privilegium fruitionis illi persimilis, quæ resultat in Sanctis ex clara Visione divinæ Essentiæ*. Nam quominus intelligamus, vel Dei visionem ad breve aliquod tempus, vel confirmationem in gratia, vel revelationem æternæ Prædestinationis ad gloriam, vel Stigmatum dona, vel munus altissimæ contemplationis, vel demum sanctificationem in utero; prohibent omnino verba mox recitata = *una grazia particolare . . . non aveva letto, che Iddio l'avesse fatta a verun altra persona* =

41 Venio nunc ad ceteras illas inutiles, minimeque necessarias rerum occultarum suorumque munerum evulgationes in anteactis Animadversionibus oppositas *sub num.* 23. 32. 34. *& seqq.*, quæ novam magisque accuratam inter ceteras defensionem illustrationemque omnino flagitare visæ sunt clarissimis Suffragantibus, animo adhuc hærentibus in ferendo judicio de Ven. FRANCISCÆ Sanctitate, quam suspectam maxime reddi metuebant, tum ex enarratarum ultro Visionum, Revelationumque frequentia, tum ex manifestissimis encomiis in iisdem evulgandis de se ipsa prædicatis. Doceant igitur in primis, qui Caussam agunt, scandalo Civitati fuisse perditis moribus suis hominem illum, quem inferis damnatum asseruit Venerabilis Virgo loco in præteritis Animadversionibus indicato *pag.* 13. §.23. Alias siquidem gravis illusionis suspicio exinde emergeret,

quum

quum nec divina Providentia æternum occulti peccatoris interitum soleat revelare, nec ullo argumento Dei Famula assertam confirmaverit revelationem. Jam vero illusio in facto, de quo agimus, magnum ex subsequuta manifestatione attulisset detrimentum non minus Defuncti famæ, quam superstitum Consanguineorum, ac Filiorum præsertim, si aderant. Quo loco attendant Caussæ Patroni, disparem prorsus esse rationem de revelatione evulgationeque occultorum peccatorum, quo se exemplo tueantur, ex notatis a S. Thoma 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ad* 2., & Benedicto XIV. *lib.* 3. *cap.* 41. *Respons. pag.* 25. §. 105. Quoties enim absque ullo erroris deceptionisque periculo, aut Sanctimoniæ jactura occulta manifestantur peccata ex superna illustratione, toties manifestatio illa, ex ipsius rei confessione, vel ex aliis indubiis documentis testimonium habet, quod ex Deo revelante, atque jubente procedat, & ad sui sive aliorum emendationem dirigatur: neutrum autem occurrit in casu nostro.

42 Sed & diligentius exponere, ac demonstrare non prætermittant qui Caussam agunt, cui bono Venerabilis DOROTHÆA manifestaverit Consodalibus suis Visionem illam, de qua in præteritis Animadversionibus *pag.* 17. §. 32., quum scilicet asseruit, se vidisse = *una gran moltitudine di Religiose vestite dell'abito del glorioso Patriarca S. Domenico, e subito, e successivamente S. Bonaventura, che gli diceva, che tutte quelle Religiose dovevano esser sue Figlie, passeggiarebbero sopra le stelle* = Tantum siquidem abest: ut Visionis hujusce patefactione Moniales illas, quibuscum loquebatur, proposito æterni gaudii præmio, ad suscepta Monasticæ perfectionis officia rite sancteque adimplenda alliceret, excitaret, impelleret, ut potius easdem in summam æternæ assequendæ salutis desperationem adduceret, subdens *loc. cit.* = *In detta occasione fece riflessione, che tra tutte quelle, non era alcuna di quelle, che al presente stavano in sua compagnia* = Monialibus itaque sociisque suis prædictam pandens Visionem, earum singulis ex divina revelatione significasse videtur, nullam ex ipsis ad cælestis beatitudinis portum fore perventuram; ac propterea quoddam veluti signum miseris Consodalibus sustulisse ad desperandum de gloria sempiterna. Quo nihil profecto ad illarum animos ab inita perfectionis via deterrendos, deiiciendosque ab immortalis præmii Spe, qua rapimur, conducibilius poterat excogitari.

43 Et tamen in earum numero Monialium, queis Visionem aperuit Venerabilis Virgo, fuit ejus germana Soror natu major: (hæc enim, ut legitur *in Conspectu Testium in fin.* = *Entrò in questo Convento al principio della sua fondazione, e primache vi entrasse stiede sempre in compagnia della Serva di Dio*) fuit & *Aloysia de Abrego* superius commemorata, in cujus domo priusquam novum Asceterium, novamque Regulam conficeret, Dei Famula hospitata est, quæque ad obitum usque rexit novam Familiam a DOROTHÆA institutam, veluti constat ex *Elencho pag.* 135. §. 115.; fuerunt & aliæ, quemadmodum enarrant Testes passim in *Summario*, atque in *Virtutum Expositione* legendi. Id autem propterea adnotavimus, ut Postulatores intelligant, dici nullo modo posse, Visionem illam ostensam esse Servæ Dei ante Cænobii fundationem, nullamque ex iis Virginibus quibuscum vivebat Religiosum habitum in eodem Cœnobio induisse.

44 Verum & alii non desunt certissimi falsitatis illusæque imaginationis chara-

ra-

racteres in Visione mox recitata. Nam, ut nihil dicam de illius inutilitate, immo de Sociarum ruina, atque interitu, ad quem potius comparatam patefactamque fuisse hactenus ostendimus; quis sibi suadeat, nullam ex primis Ven. FRANCISCÆ Sodalibus perpetuum in Cælis laborum suorum præmium fuisse consequutam sub ipsis novæ Regulæ incunabulis; quando nimirum primitivus vigeret Observantiæ fervor, cura, studio, sollicitudine, exemplo Venerabilis Fundatricis mirum in modum confirmatus, auctus, accensus; contra vero ad illam beatam requiem posteriores pervenisse Moniales; quum videlicet post obitum S. D., pro humanarum rerum conditione, primævus Observantiæ spiritus tepescere debuit, atque remitti? Cui insuper incredibile prorsus non videatur, quod Famulam suam certiorem facere voluerit Deus de æternæ beatitudinis mercede imposterum consequenda ab illis Virginibus, quæ novam vitæ institutionem ex Franciscana, & Dominicana Regula conflatam in Asceterio Sanctæ Mariæ Regum suscepturæ forent. Id enim sonant verba illa a Sancto Bonaventura, ut asseruit, sibi prolata = *Che tutte quelle Religiose (vestite dell'abbito del Glorioso Patriarca S. Domenico) dovevano essere sue Figlie, passeggiarebbero sopra le stelle* = Deus, inquam, qui nonnisi paucissimos de sua ipsorum prædestinatione peculiaris revelationis ope certos, atque securos reddere consuevit, ut juxta communem Providentiæ Legem cum metu, & tremore Electi sui propriam salutem operentur. Sed jam ad alia progrediamur.

45 Objectum fuerat in præteritis Animadversionibus *pag.* 18. §. 34. ILLUSIONEM SAPERE ea, quæ retulit Serva Dei, tamquam sibi dicta a Domino = *che mi ha destinato a grandi cose* = *che a mio conto sta la conversione del Mondo* = *che mi ricuopra di cilizio, e mi togli li capelli &c. acciocche termini in me quelche ha cominciato, e dia principio alla riparazione del Mondo &c.* = Quid ad hæc Caussæ Patroni? *Mirantur* in primis *maximopere*, *Respons. pag.* 40. §. 161., *religiosissimas Animadversiones* RELIGIONI NON HABENTES *gravissimum istius Sacræ Congregationis de Scriptis Servæ Dei judicium supremi Pontificis auctoritate confirmatum* OFFENDERE, *istiusmodi proferre Revelationes ex iisdem Scriptis* (jam approbatis) *depromptas*: observant deinde §. 162. verbum illud = *del Mondo* = *non universum semper Orbem, sed ex recepta loquendi consuetudine plerumque hominum multitudinem, ac certam quamdam regionem significare, ut ex* LEXICIS *constat*: tum contendunt §. 163. verba illa = *a tuo costo sta la conversione del Mondo* = *eum unum sensum habere; nimirum, hoc a te exopto, ut preces effundas pro mortalium conversione; ac pariter de morum reformatione intelligenda esse illa alia* = *dia principio alla riparazion del Mondo* = *quum reparatio idem sit ac reformatio, qua vitia resecantur, virtutibusque mens quotidie innovatur* = denique ajunt, prædicta verba = *illud quoque spectare, ut eadem Dei Ancilla hanc ob causam ferventes ad Deum preces effundat, quas quidem pro omnium conversione, & salute preces tum & Conventus fundationem, Deum ab Ancilla sua exoptasse*, ex recitatis aliquot Scriptorum illius locis deducunt §§. 164. & 165.

46 *At bona verba quæsumus a religiosissimis* Caussæ Patronis, desinantque in posterum *mirari*; caveantque etiam atque etiam temeritatis, sive *irreligionis* nomine coarguere Animadversiones Fidei Promotoris, ubi ex approbatis Servorum Dei Scriptis ea pro officii ratione, proque *reservato sibi jure* opponat in Virtutum judicio, quæ adversari posse videan-

 tur

tur illarum fulgori, ac scribentium heroicæ Sanctitati cum phantasticis ineptisque visionibus, cum revelationibus falsis, cum prædictionibus vanis & inanibus, cum exaggeratis atque inutilibus donorum cælestium enarrationibus nullo pacto componendæ. Nihil enim ad Promotoris contumeliam gravius atque acerbius; nihil ad levitatis, illusionis, imprudentiæ, & vanitatis argumenta a Fidei Promotore ex iisdem Scriptis deducta eo, quo decet, studio refellenda inanius atque inopportunius potest asserri. Sed & illud sedulo advertant Postulatores, de TOTO MUNDO agi in verbis Servæ Dei mox recitatis. Subdit enim *ibidem* = *Pare, che subito che mi disse ciò* (idest *avverti, che a tuo costo sta la conversione del Mondo*) *mi posero un peso intollerabile sopra di me &c. non molto tempo dopo rappresentarono innanzi a me il Mondo, e l'Inferno, e viddi, che quasi si spopolava, ed andava contro di me difendendo, ed impedendo la conversione, e salute di quelle Anime &c.* = . Atque huc etiam spectabat illa *Magistri Castroverde* sententia, juxta ea, quæ a Serva Dei audierat prolata, ac ab ipsamet Venerabili Virgine descripta in suis Commentariis = *circa li successi da seguire dopo la morte* (Servæ Dei) *cioè che si spoglierà il Purgatorio, & in sua compagnia saliranno al Cielo, e si darà la gloria a quest' Anima, per mezzo di cui farà Idaio tante maraviglie, come la diede agli Apostoli* = quemadmodum legitur in prædictis Animadversionibus *pag.* 19. §. 35. Quæ omnia profecto oppositas recitatasque Revelationes *ad universum Orbem, non ad aliquam ejus partem, aut certam quamdam regionem, ac hominum multitudinem* determinat.

47 Hæc quum ita sint, doceant Caussæ Patroni, quænam fuerint SIGNA APOSTOLATUS hujus Servæ Dei. Nec obvio verborum sensui vim inferentes, assertamque *Mundi reparationem*, ad *morum* transferentes *reformationem*, dicant precibus rem totam fuisse peractam. De precibus siquidem pro omnium salute effundendis commune mandatum est unicuique Fidelium; quum unicuique mandaverit *Deus de Proximo suo, Ecclesiastici Cap.* XVII. *vers.* 12., & S. Jacobus *in Epist. Canon.* omnibus mandat *Cap.* V. *vers.* 16. = *Orate pro invicem, ut salvemini* =, & Gentium Apostolus Paulus *in Epist.* 1. *ad Timotheum Cap.* II. *vers.* 1. præcipit = *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* = Et quoniam *propositarum Visionum, ac Revelationum VERITATEM a contrariis* (Animadversionibus) *vindicare se maxime posse* ajunt Caussæ Patroni anteactæ Defensionis *pagina* 40. §. 160.; ne, quæso, *scientes, prudentesque* in eum errorem prolabantur, ut existiment, *Postulatoribus sufficere, nihil in iisdem Revelationibus aut Fidei, aut bonis moribus, aut communi Ecclesiæ sensui adversum deprehendi*; sed doceant ulterius atque demonstrent, quomodo eædem exadverso propositæ *Revelationes* non detrahant imprimis Archiepiscopo, & Clero Hispalensi, tum vero Episcopis reliquis, qui tunc temporis *positi* erant *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, ipsisque etiam illius ætatis Romanis Pontificibus, Principis Apostolorum in totius Ecclesiæ regimine Successoribus, & Clero quarumlibet Ecclesiarum, si *verum* fuisset, quod *Ven. Dorothæa* sibi a Domino dictum revelatumque tradidit; nimirum = *che a conto di lei stava la conversione del Mondo* =

48 Ostendant pariter, quomodo hæc ipsa *Revelatio* nihil omnino detrahat cognitæ perspectæque sanctimoniæ tot Christianæ perfectionis Heroum, qui

qui ab anno 1558. natali Servæ Dei, ad annum 1623., quo obdormivit in Domino, floruerunt: quos inter nemo ignorat quanto zelo Animarum salutem procuraverint S. Philippus Nerius usque ad annum 1595. S. Camillus de Lellis ad annum 1514., S. Franciscus Salesius ad annum 1622., S. Joseph Calasanctius ad annum 1648., S. Vincentius a Paulo ad annum 1660., & alii *Ven. FRANCISCÆ DOROTHÆÆ* coævi, quos omnes singillatim enumerare, nimis longum atque operosum foret.

49 Nec adimpletum fuisse dicant *Apostolatum* hujus Venerabilis Christi Ancillæ fundatione novi Asceterii, atque institutione novæ Regulæ in eo profitendæ: quo quidem in opere licet repugnantem habuerit, tum Confessarium, tum Archiepiscopum; attamen omnibus superatis contradictionibus, ostendit Deus, per eam Fundationem velle se communi hominum saluti utilitatique prospicere; hoc est = *esser volere di S. D. M. con questo Convento* (quemadmodum ipsamet Dei Famula exposuit, *loco in præterita Responsione recitato pag.* 41. §. 165.] *porger rimedio ad altri Conventi, e ben anche alle necessità del Popolo con il suo esempio, colla sua Orazione, e perpetua penitenza, e che la detta Casa, ove non sono Leggi mondane, si regoli intieramente colle divine . . . . essendo di somma importanza per la gloria di Dio, esservi un luogo, in cui vengano allevate Anime purissime, le quali sempre stiano innanzi Sua Divina Maestà in Orazione per il Popolo, e per tutta la Chiesa* =

50 Etenim, nescio imprimis, an superno potius adjutorio, quam humanis artibus tribuendum esse videatur tanti operis complementum, in quo perficiendo adhibitas fuisse lego in præteritis Animadversionibus *pag.* 14. §. 25. = *MILLE ARTI, acciocche il Vescovo non venisse a capire, che si fondava il Convento, perche, se ciò giungeva a sua notizia, tutto riusciva vano* =; deinde, si propter hanc ipsam novæ Regulæ, novique Cœnobii fundationem, tunc primum cœpta est = *la riparazione del Mondo* =; si idcirco = *a conto di Lei stava la conversione del Mondo* = liceat mihi a Postulatoribus quærere, num aliquas minoris momenti fundationes atque opera fecisse existiment, sive in iisdem Hispaniæ Regionibus, SS. Johannem a Cruce, Petrum de Alcantara, ac Theresiam a Jesu supra laudatam ad cælestem beatitudinis portum deductam anno Domini 1582. (qui annus respondet *quarto & vigesimo* ætatis Venerabilis Servæ Dei) tot Sacrarum Virginum Cœnobiis passim extructis, in quibus minime dubitandum, quin tunc maxime perfectionis studium vigeret; sive in aliis Christiani Orbis provinciis paullo superius Christianæ perfectionis Heroes, Philippum Nerium, Camillum de Lellis, Franciscum Salesium, Johannam Franciscam Fremiot de Chantal, Vincentium a Paulo, Josephum Calasanctium, Religiosarum Congregationum, aut Virorum, aut Mulierum Institutores? O tenues igitur parvique faciendos labores contentionesque susceptas! partim a tot Sanctissimis Episcopis, ac nominatim a S. Carolo Borrhomæo in reformandis Cleri Populique moribus juxta Sacratissimas Leges in Concilio Tridentino, jam in vivis agente *Ven. FRANCISCA*, absoluto constitutas; partim a tot Apostolicis viris, ac præsertim Regularium Ordinum vel Congregationum seu Institutoribus seu Reformatoribus, quos Servæ Dei ætas, heroum feracissima, extulit; si nihilominus una *Ven. DOROTHÆA* ob unius Cœnobii fundationem,

 ea

ea fuisse ex divino testimonio a se relato, credendum sit = *a conto di cui stava la conversione del Mondo* =, eaque una, per quam = *si dia principio alla riparazione del Mondo* = !

51 Prætereo ceteras ineptas falsasque Servæ Dei Visiones ac Revelationes in anteactis Animadversionibus prolatas, quæ simul conjunctæ tanto magis hærere cogebant doctissimos Suffragantes in ferendo judicio de heroicis *Ven.* *FRANCISCÆ* Virtutibus, quanto frequentius istiusmodi alteratæ phantasiæ illusionibus obnoxiam esse conspiciebant Venerabilem Virginem. Quamquam enim æternæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. de spiritu prophetico agens *Magn. Oper. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 7. doceat, aliquando Sanctos Prophetas, dum consuluntur, ex magna usu prophetandi, quædam proferre ex suo spiritu, suspicantes, hoc esse ex Spiritu Prophetiæ, atque adeo *pari ratione fieri posse* observet *lib.* 3. *cap. ult. num.* 17., *ut aliquis Sanctus ex anticipatis opinionibus, aut ideis in phantasia fixis, aliqua sibi a Deo revelata putet, quæ a Deo revelata non sunt*; idem tamen Pontifex doctrinæ ac vestigiis inhærens S. Francisci Salesii, & Cardinalis Bona *de discret. Spirit. cap.* 20. *num.* 5., aperte profitetur *cod. lib.* 3. *cap. ultim. num.* 8., quod vel *sola Revelationum FREQUENTIA eas SUSPECTAS reddere possit*. Quapropter *magnum heroicis VEN. DOROTHÆÆ Virtutibus detrimentum afferri* existimantes Amplissimi PP. ex opposita per meum in munere Prædecessorem falsarum Revelationum frequentia, utpote quæ Mulierem illusam potius atque deceptam, quam eximiæ Sanctitatis ac cœlestis sapientiæ dono exornatam ostendant; quum præcipua illusionis causa soleat esse superbia: idque tanto magis de nostra Dei Famula sibi metuendum esse arbitrati, quanto uberioribus & magnificentioribus laudibus se ipsam extollere animadvertebant in enarrandis prædictis Revelationibus suis; mirati sunt maxime, quod ab earum defensione *prudentes scientesque sese abstinuerint* Caussæ Patroni, nec animum adjecerint ad propulsandam perpetuæ ferme illusionis notam; suspicionemque exinde ortam in Venerabilem Servam Dei.

52 Ad hæc observabant laudati doctissimi Suffragantes, pleraque Visionum ac Revelationum monstra in præteritis Animadversionibus jam proposita veluti somnia muliebris imaginationis *pag.* 19. *&* 20. *§§.* 36. 37. *&* 38., tacite saltem excludi a numero verarum atque cælestium illustrationum in anteacta Defensione, immo penitus intactas in ea præteriri oppositiones desumptas sive ex his, quæ ab ore Servæ Dei referunt ejus Consodales, ac Testes *Process. fol.* 116. *terg. &* 2622., ibi = *I Confessori della nostra Madre Dorotea gli comandavano, che si communicasse ogni giorno, eccettuati i Sabbati, perche Nostro Signore la voleva comunicare colle sue mani*. = Item = *quando alcuni giorni questa* (Eucaristia) *da' suoi Confessori non gli si accordava, la stessa Venerabil Madre, e la Madre Suor Maria di lei Sorella replicate volte osservarono, che la comunicava il Signore di sua mano* =; sive ex his, quæ de se ipsa memoriæ prodidit Venerabilis Virgo, *Process. fol.* 124., ibi = *Le apparvero una volta il nostro Padre S. Domenico, e S. Francesco, ciascheduno de' quali fortunati Santi le offeriva il suo Abito*. = Item *fol.* 80. = *Gli comandavano, che si comunicasse per le mani di un Sacerdote, che la stava*

aspet-

aspettando con l'Ostia nelle mani per comunicarla; ma che questo Sacerdote stava in una Torre di ammirabile altezza, senza che in questa vi fossero le scale, per cui si potesse salire a quella, se pure non vi fosse portata ivi per l'aria, che era infestata da infiniti Demonj. . . . tuttavolta salì fin dove stava il Sacerdote, il quale subito la comunicò, = quæque statim subjungit de Dracone = *che secondo il di lui moto, ed il suono delle squamme le sembrava esser di smisurata grandezza* = deque septem magnis avibus auratarum plumarum indumento exornatis, quas se vidisse ajebat, dum orationi vacaret; ac demum ex his, quæ pertinent ad monitum sive præceptum, quod sibi a Christo Domino datum supponebat in hæc verba, legenda præterit. *Animadversionum pag.* 20. §. 38. = *Quando tu averai li tuoi Confessori, non ti tratterai con essi più di quello faresti, se non li avessi . . . . Preparati, perchè hai da passare molti travaglj colli Confessori per la Confessione, non parlare, se non se forzata, ed allora poco*.

53 Quid plura? Nonne ipsa Venerabilis Virgo scribens Confessario suo, magnum sese ex superuis illustrationibus capere mœrorem ac sollicitudinem, viderique sibi vehementius in dies istis excruciari sollicitudinibus, in eam sententiam, quam recitat Caussæ Patronus *Responsion. pag.* 42. §. 168., nimirum = *Io ho detto tutto quello, che aveva da dire per quello spetta alli favori, senza che mi rimanga alcuna cosa &c. Signore io mi trovo MOLTO AFFLITTA E PENSIEROSA SU' DI CIO', ed ogni giorno più mi pare di stare più PENSIEROSA, E TIMIDA*; = nonne, inquam, talia ad Confessarium scribens, clarissimum nobis exhibet indicium, ut de prædictis ceterisque assertis divinis apparitionibus, visionibus, revelationibus, quominus *illusiones* fuerint, minime ambigamus? Ecquis enim ignorat, Visiones, Revelationes, ceteraque extraordinaria Dona, si a Deo sint, summam animi tranquillitatem afferre? = *Mentis summam tranquillitatem, amoris divini incrementum, continuam humilitatem a Cardinali de Turrecremata extolli tamquam signa divinæ Visionis, & Revelationis* = apposite observat Benedictus PP. XIV. *lib.* 3. *de Canonizat. cap.* 52. *num.* 7., ubi Authoris Eminentissimi verbis recitatis, veritatem rei confirmat authoritate Magistri Johannis de Avila in Tractatu, qui inscribitur = *Audi Filia* = *cap.* 32., necnon Beatæ Angelæ de Fulgineo.

54 Quinimmo aliquas ex hujuscemodi assertis Revelationibus, vel ipsi Dei Famulæ fuisse suspectas, evidentissime eruitur ex contemptu atque inobservantia superius memorati divini præcepti de paucis agendo cum Confessariis; queis hoc idem ceteraque *omnia manifestare, eorumque judicio sese subiicere* consuevisse, tradunt Caussæ Patroni *cit. Responsf. pag.* 42. *in princip.* §. 167., addentes §. 169., quod ipsa *adeo a Confessarii consilio pendebat, ut cælestes Apparitiones, auditaque inter ipsas verba, abs sese Confessarii consilia implens, propulsaret*, *Process. fol.* 49. *ter. & seq.* = *Nell' apparirmi Nostro Signore mi disse &c., e volendomi egli insegnare come dovevo praticare ciò, gli dissi: Signore, già sai, che il mio Confessore mi ha ordinato, che non ti parli, nè ti veda, nè ti ascolti, nè ti ubbidisca, e così voglio fare. Egli mi rispose &c. Io per altro facendo il contrario a quanto mi veniva consigliato per ubbidire al Maestro Castroverde &c.*

At-

55 Atque utinam *S. Theresiam*, quemadmodum Patronus ait, *imitata* Venerabilis Virgo, in hoc sancto proposito firma semper permansisset! Verum non semel Confessarii ac ipsius Hispalensis Antistitis sententiam flocci fecit, divinum in omni re mandatum sibi fictum, divinum impulsum, divinam Revelationem obtendens. Nam & altera vice Additiones conscripsit ad Regulam S. Dominici, spreto Confessarii judicio, qui illas improbaverat, prout vidimus superius §.15. *& seqq.*, & prohibentibus quandoque Confessariis, ne ad Eucharisticam accederet Mensam, de manu cujusdam sub Redemptoris specie sibi apparentis Eucharistiam sumebat, veluti patet ex testimonio *in anteactis Animadversionibus* adducto *pag.*19. §.36. a nobisque paullo supra recitato §.52.

56 Superest, ut nunc pauca adiiciamus ad ea argumenta, quibus assertum a Testibus, acriterque a Caussæ Postulatoribus propugnatum in *Ven. FRANCISCA DOROTHÆA Sacrorum Stigmatum donum*, meus in munere Prædecessor sæpe laudatus in discrimen adduxit *suarum Animadversionum pag.* 21. *& seq.* §. 40. *& seqq.*. Non dicam tam præclarum ac rarissimum Prodigium, quale est illud, quod Servæ Dei annum agenti ætatis suæ quartum circiter atque vigesimum accidisse narratur noctu Feriæ V. Majoris hebdomadæ in Ecclesia Fratrum Augustinianorum, dum Dominicam Passionem dolenti animo & cogitatione meditanti, sacra quinque Stigmata ejus manibus, pedibus, ac lateri impressa feruntur; nullo modo fidendum esse uni eique maxime incerto Monialium testimonio. Non dicam, Sacram hanc vulnerum impressionem dubiam admodum, incertam, atque inverosimilem reddi, ex eo quia modo secreta, modo conspicua & apparens in manibus, præcipuè vero in latere ejus aperto, variantibus auritis Testibus, prædicetur, suæque Famulæ a Deo in Ecclesia collata dicatur coram Confessariis, ejusque germanis Sororibus; quod tamen *unico* S. Catharinæ Senensis *exemplo* sustineri posset, licet Caussæ Patronus *sexcenta* sibi præsto esse istiusmodi *exempla*, quæ proferat, glorietur; quæque quum proferre nequiverit, *brevitatis gratia prætetire* simulat. Illud tantummodo animadvertam, supremum idem Stigmatum munus; quod tanti faciunt Testes, quodque idem Caussæ Patronus ab reliquis defendendis extraordinariis Servæ Dei donis ceteroquin alienus, *ex professo* vindicandum suscepit; *Respons. pag.* 44. §.173. *ad plur. seqq.*, non adeo firmiter *stabilitum*, *inque luce clara positum* doctissimis Suffragantibus fuisse visum, *ut nulla ratione debilitari atque obscurari possit*.

57 Nunquam enim a Senensi Virgine Catharina Confessarios suos aliosque adscitos, atque appellatos fuisse legimus, qui rarissimi doni sibi *in Ecclesia die quidem festo*, *& MANE post Sacram Communionem receptam*, divinitus elargiendi, testes ac spectatores essent, quemadmodum fecisse dicitur *Ven. FRANCISCA DOROTHÆA*, quæ priusquam Stigmatibus signaretur, admonere minime recusavit Religiosos viros *Castroverde* & *Lebrixa* Sacræ Theologiæ Magistros, sibique a Confessionibus, ad hoc ut tam mirabilem eventum mox sequuturum adverterent, ac præsentes intuerentur, veluti totidem testatur verbis Mater *Maria a S. Maria* germana Soror *Servæ Dei de visu, quæque cum ea tum in Sæculo, tum & in Religione fere perpetuo vixit*, *Procesf. fol.* 75., inquiens = *Fù ordinato*, *CHE AVVISASSE*

SE LI SVOI CONFESSORI , li quali erano li sudetti Maestri Castroverde è Lebrixa , che si trovassero presenti , perche voleva , CHE FOSSERO ESSI TESTIMONJ di quel che faceva colla medesima , e ciò seguì nel Venerdì Santo prima del giorno &c. = ; & cetera , quæ sequuntur in testimonio prædictæ *Mariæ a S. Maria* recitato tum in præteritis Animadversionibus *pag.* 21. §.40. , tum in *Expositione Virtutum* sub titulo *De Caritate erga Deum pagin.* 59. §. 45.

58 Nil demum præclarissimi ac rarissimi Facti veritatem magis suspectam facit , quam putridus saniosusque sanguis e *vulneribus Stigmatum* , ac præcipue ex LATERIS VULNERE erumpens, non ex ulceribus per asperrimum cilicium , aliaque pœnalia instrumenta apertis , quemadmodum contra perspicua Testis verba ex *Summarii pag.* 28. §. 55. in præteritis Animadversionibus recitata *pag.* 22. §. 42. contendunt Postulatores Responsionis *pag.*46. §.181.. Inquit enim Testis II. Processus Informativi DE VISU , nimirum *Mater Anna a Cruce Priorissa Monasterii S. Mariæ Regum Summar. loc. cit.* = *Successivamente sperimentò questa Dichiarante, essendo la Serva di Dio Religiosa (che N. S. gli aveva fatta la grazia di darli a provare certi dolori interni delle sue piaghe) perchè nelle mani , nelli piedi , e costato aveva certi dolori talmente intensi , che quando qualche Religiosa per inavvertenza gli toccava le mani , e li piedi essa esperimentava gran dolori , sebbene attesa la di lei grande umiltà procurava non darlo a divedere , ed in riguardo A QVESTI DOLORI , e per mitigare QVELLI DEL COSTATO , che tanto la tormentavano : esperimentava sollievo , e refrigerio coll' adoprare alcuni panni inzuppati nell' acqua del pozzo , li quali si toglieva essa talmente secchi ed aridi , che sembravano posti al fuoco , ed alcune volte se li cavava rossi , e vermigli , ed altre volte poi se li cavava molto abrustoliti , E COME INZVPPATI DI SANGVE CORROTTO , E MARCIOSO ; e sebbene la detta Serva di Dio procurasse occultare questi effetti , talvolta gli cadevano detti panni per inavvertenza , e LI VEDEVANO QVESTA DICHIARANTE , ed altre Religiose di questo Convento &c.* =

Quæ dicta sint sub Censura &c. Salvo semper &c.



Dominicus de Sancto Petro S. Fidei Promotor .